

Q. F. S. F. Q.
THEOLOGIE BILICÆ SYNOPTICÆ
DISSERTATIO
DE

JUSTIFICATIONE ET FIDE JUSTIFICANTE,

Quam
PRÆSIDE
VIRO

*Summè-Reverendo, Magnifico, Amplissimo,
atq; Excellentissimo,*

DN. JOHANN E
DEÜTSCHMANN O,

S.S.Theol.Doct. ejusdemq; P. P. longè ce-
leberrimo, Facultatis suæ SENIORE venerabili, ac
Alumn. Eleçt. EPHORO Primario Gravisimo,

DN. PATRONO, PRAECEPTORE, Promotore atq;
*Hospite suo, omni pietatis ac filialis prorsus amoris
cultu et atem prosequendo,*


IN AUDITORIO MAIORI
Ex Cathedra Lutheri

publicè defendet

JOHANNES TOBIAS ENTZELIUS,

Holtzsufra Thuring.

Ipsis Nonis Februar. Anno MDCXCII.



WITTENBERGÆ, Literis JOH. WILCKII.

[Handwritten signatures and marks]

III. diss. A
S 2, 44

Bill. A 162 (44)

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, Ex-
cellentissimoq;

DN. MARTINO VOLKMA-
RO SCHULTHESIO,

Hæreditario in Wallichen & Ballstedt, &c.

Jcto Celeberrimo, Illustrissimi Comitis de Schwarz-
burg Regiminis Aulici atq; Ecclesiastici, quod Arn-
stadia est, Præsidi Eminentissimo, ut & Dynastiæ,
Illustriss. Comitis Hohenloh-Langenburgici,
Ohrdruviensis Directori & Consiliario

Cravissimo,

NEC NON

V I R I S

Nobilissimis, Amplissimo, Optimæq; spei

FILIIIS,

strenuis Patriæ virtutis Æmulis,


DN. Mæcenati, Evergetis, Promotoribus
ac Fautoribus suis omni pietatis & observantia genere
ad cineres usq; Colendis, devotè honorandis,

Primitias has Academicas

Cum voto omnigenæ Prosperitatis offerre
humillimè, submissè ac observanter
debit

RESPONDENS.





IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ SYNOPT.
DE JUSTIFICATIONE, ET FI-
DE JUSTIFICANTE.

THESIS I. *Justificatio Vocationem, Regenerationem, Illu-
minationem & Conversionem, ordine sequitur.* *Justificatio.*

2. Hæc autem *consecutio* non est (1) *temporis*, *Ordo.*
quasi tempore fit posterior justificatio, siquidem Spi-
ritus Sancti gratia nescit tarda molimina, nec attendit tem-
porum intervalla; Deus igitur, dum vocat, regenerat, illumi-
nat, & convertit, etiam justificat. (3) *nec operis*, nim. respectu
Dei justificantis & operantis, siquidem Deus propter infinita-
tem operationis suæ cuncta virtute sua mirabiliter operatur,
neq; ratione sui Deus unum opus post aliud facit, cujus o-
perationes in se simpliciter in vera conspiciuntur æternitate.
(3) *sed ratione ordinis, & originis*, quia *justificatio*, tum *Conversi-*
onem, cum *justificatio* nunquam fit averſi, quæ talis, sed potius
semper fit *converſi*; tum *illuminationem*, cum non fit *excæcati*,
sed *illuminati*, quoad mentem, tum *regenerationem*, cum *justi-*
ficatio nec fit, nec esse possit *irregenti*; tum *vocationem*, quæ
per verbum semper primum initium facit ad *justificationem*,
præsupponit & prærequirit.

3. THES. II. *Justificatio non datur existentia naturali, Existentia.*
sed supernaturali, non legali, sed Evangelica, non rationis, sed re-
velationis, non humane, sed divine tantum operationis.

4. *Natura* certe nihil ad *justificationem activè* conferre
potest, tum quia totaliter in peccatis mortua, Eph. II. I. tum quia
natura subjectum est & verè passive se habet, in *justificatione*,
principium autem non est, nec ejus rationem admittere no-
vit: tum quia, tanquam mysterium, naturæ sphaeram eminen-
ter transcendit.

5. *Lex* etiam nihil affert ad hominis peccatoris *justifica-*
tionem,

A

DE JUSTIFICATIONE,

tionem, tum quia neutiquam ex lege justificatur ulla caro, Rom III. 23. tum quia lex peccatorem accusat, non autem justificat; tum quia lex rigorosam urget justitiam; tum quia lex condemnat peccatorem; condemnatio verò, & justificatio καὶ ἀγαμέτρον sunt opposita.

6. Ratio pariter nihil quicquam ad justificationem conferre valet (1) quia sicut tota natura corrupta, sic etiam ipsa ratio hominis est corrupta. (2) quia ratio dicitur cæca, vel intellectus tenebris obscurata, Ephes. IV. 18. (3) quia totus homo ψυχικός, cum omni sua ratione, nihil quicquam percipit eorum, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia sunt ipsi, nec quicquam illorum percipere potest, I. Cor. II. 14.

7. Humana tandem voluntas, facultas, & activitas, frustra sunt in omni justificationis opere (1) quia Deus est, qui justificat, Rom. II. 33. (2) quia voluntas hominis tantum mala, Gen VI. 5. (3) quia nulla prorsus in nobis est ἰκαρότης, II. Cor. III. 5. (4) quia justificatio Dei solius opus esse dicitur.

Definitio.

8. THES. III. Justificatio quoad definitionem, est actus Dei, quo hominem peccatorem, mortis & condemnationis reum, ex gratia à peccatis absolvit, eiq; tenore justitiæ, sua misericordia temperata, gratiosissime Christi justitiam imputat, ad salutem eternam.

9. Vocabulum justificationis in hoc articulo, non naturalis, sed judicialis, sive forensis significationis est, sicut omnia judicialia requisita luculenter id evincunt, quæ sunt [1] Judex Deus Psal IX. 9. [2] Administrator judicii, Christus Jesus, Job. V. 27. Gen. XII. 25. & c. [3] Judicium, Job. IX. 2. Ps. CXLIII. 2. [4] Judicandus, vel reus, homo peccator, Rom. III. 19. [5] Actor, vel accusator. Moses, Job. V. 47. [6] Debitum, vel debitor, Matt. XII. 24. [7] Chirurgum, Coloss. II. 29 [8] Testis est Conservus, Rom. II. 15. [9] Tribunal, & c.

Homonymia.

10. Justificationis nomen sumitur (1) in sensu legali, quatenus creaturæ justificantur ex operibus legis, qualis fuit olim Protoplastorum ante lapsum, hodie dicitur Sanctorum Angelorum, qui faciunt voluntatem Patris in cælis Ps. CIII. 20. Mattb.

VI. 9.

DE JUSTIFICATIONE,

VI. 9. talis etiam erit *Electorum* in vita gloria: (2) in *sensu spiri-
tuali* vel *Evangelico*, quando per fidem in Christum peniten-
tes peccatores justitiam ex gratia Dei consequuntur.

11. Sic etiam *justificatio* sumitur vel *active*, quatenus *Deo
justificanti*, ceu divinum aliquod *opus*, vel *actio* justificans tri-
buitur, sicut *active justificans Deus* appellatur, Rom. II. 33. vel
passive, quatenus hominibus justificatis attribuitur, & *statum
certum*, eumque supernaturalem, *peccatoris penitentis* coram
Deo designare perhibetur, Rom. V. 1.

12. *Definitio* constat (1) *Genere*, quod sit *actus*, vel *opus*,
aut *actio Dei*, siquidem hic terminus de reliquis etiam opera-
tionibus Dei *generice* praedicatur, cum de *Vocatione*, *regenera-
tione*, *illuminatione*, *conversione*, *Sanctificatione*, vel aliis etiam
mysteriis rectissime per modum generis adhibeatur.

13. (2) *Differentia*, quae potissimum *causalis* est, dum om-
nes in *Definitione* causae justificationis recensentur. *Effici-
ens*, vel est *explicita*, & quidem alia, tum *impulsiva*, *Dei gratia*,
vel *miserordia*: tum *meritoria*, quae *Christus*: tum *operativa*,
quae *Deus* est, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, unus quoad *Essen-
tiam*, & *trinus* quoad *subsistentiam*, cum *justificatio*, tanquam a-
ctus causalis, ad Deum & ἁγιωδώς, & ἰσωςατικώς, & ἰδιοποιητι-
κώς referatur, quod prolixiori demonstratione diduci posset.
Vid. *Theol. Bibl. de justific. p. 288. seq.* Vel *implicita*, quae partim *in-
strumentalis*, alia nim. ex parte Dei, tum *Verbum*, & *Sacramenta*,
cum & *Verbum* justificet, tanquam *justitia verbum*, Esa. XLV. 23.
& *Baptismus*, Tit. III. 5. nos reddat vere justificados; & *Cena Do-
mini* porrigatur in remissionem peccatorum, Matt. XXVI. 28. a-
lia pariter ex parte nostri, vera *fides*, dum arbitramur hominem
non ex operibus, sed per fidem justificari, Rom. III. 28. partim
Ministerialis, cum Deus etiam Ecclesiae Ministros in nostri *ju-
stificationem*, tanquam *Mysteriorum suorum Oeconomus*, adhi-
beat, I. Cor. IV. 1. qui dicuntur & *justificantes*, Dan. XII. 2. & *sal-
vantes*, I. Tim. IV. 16. & *Salvatores* Obad. v. 21.

14. *Causa Materialis* est *Homo peccator*, *mortis* & *condemna-
tionis*

Genus.]

Differentia
Efficiens.

Materia.]

DE JUSTIFICATIONE,

tionis reus, quibus verbis *subjectum*, & in *statu communi*, & in *statu proprio*, satis evidenter exponitur. Quoad *statum communem* introducitur partim *Subjecti quidditatis*, quod *Homo* verus sit justificationis *subjectum*, non *quatenus* talis, sed *qui* talis, dum hic non de angelorum, sed hominum justificatione doctrina proponitur: partim *subjectū Quantitas*, dū *Homo*, ceu *subjectum indefinitū* supponitur, & certam *quandam universalitatem* respicere dicitur. Nam *Homo peccator dupliciter* considerari potest, vel quoad *justificationis meritum*, vel quoad *justificationis fructum*: quoad *justificationis meritum* homo peccator in *omnimoda universalitate* consideratur, quia *Christus* omnibus peccatoribus *justificationis meritum* acquisivit: quam late patet malum *Adami primi*, tam late patet *meritum*, & *remedium Adami secundi*, *Christi Jesu*, qui dedit semetipsum *λύτρον* pro omnibus, I. Tim. II. 5 dum, tanquam *Agnus Dei* tollit peccata *Mundi*, Joh. I. 29. Nam *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, sic & *per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, Rom. V. 18. & v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius homines peccatores constituti sunt multi* [vel omnes v. 18] *ita & per unius obedientiam justii constituentur multi*. Quoad *justificationis fructum* gemino quoque modo consideratur *universalitas*, altera dicitur *vere credentium*, altera *finaliter credentiū*: nam omnes *vere conversi*, *vereq; baptisati*, *vere quoque justificantur*, licet ad tempus saltem credant, qui communiter *πρόσκαρποι* nuncupantur, Matt. XIII. 21. Marc. IV. 17 sic etiam omnes *finaliter credentes*, tanquam *Electi*, *vere justificantur*, Rom. II. 28. Vid. Theol. Bibl. de h. l. Quoad *statum proprium* dicitur *alius absolutus*, nim. quod sit *Homo peccator*, quia nisi peccasset homo, nec *Christus*, æternus *Dei Filius*, venisset, siquidem *Filius hominis* venit salvare, quod perierat: *alius relativus*, quod, *ratione pene*, sit *mortis & condemnationis reus*, dum propter peccatum *omnis mundus* sit *obnoxius*, vel *reus Deo*, Rom. III. 19. sicut omnes carent gloria *Dei* v. 23.

Forma.

15 *Causa Formalis in Mystero* latet, cum *justificatio* maximum sit

fit

DE JUSTIFICATIONE,

fit regni cælorum mysterium, quod certo, quoad *rem*, credimus, licet *modum* nesciamus. Consistit autem *forma justificationis* alias, tum in *malorum privatione*, cum injustitia, quæ nobis inest, sit auferenda, justitia vero, quæ nobis deest sit conferenda, qua de causa forma justificationis privative consistere dicitur in gratiosa *peccatorum remissione*, i. *gratiosa à peccatis absolute*: tum *positive*, consistit in *justitiæ Christi imputatione*, quia Deus tenore justitiæ suæ, paterna *misericordia temperata*, Christi justitiam peccatoribus imputat, sicut ex antiquissimis locis Biblicis hanc formalem rationem colligere licet, nim. [1] *ex Protevangelio*, Gen. III. 15. ubi Semen mulieris, in gratiam peccatoris hominis, conterit caput serpentis. & restituit amissum bonum hominis [2] *ex Ejus antediluviano Commentario*: sicut enim Protevangelium, quoad subjectum, vid. Semen mulieris, per Evam expositum est, quod sit Isch Jehova, seu Vir Jehova, Homo Deus; Gen. IV. 1. ita pariter per Lamechum prædicatum est commentationibus illustratum, quod conterere caput serpentis, sit tum maledictionem auferre, tum benedictionem nostram in consolationem conferre c. V. 29. [3] *Ex fæderis summario*, quod Gen XV. 1 seqq. invenitur, ubi Messias Abramo apparere, fædus cum ipso renovare, in Patrem Fidelium ipsum vocare, primitus fidei nomen annotare, cunctisq; posteris tam ex præputio, quam ex circumcissione, mysterium justificationis revelare voluit; dum statim in principio Capitis Patriarchæ dixit: *Noli timere, Abram, Ego sum scutum tuum, & merces tua magna nimis*. Hic tota latet Justificationis doctrina: *Causa Justificationis Jehova: Meritoria Causa, Messias apprens, & tanquam summus Propheta, Mysterium hoc exponens: Organica causa ratione Dei, Verbū & Doctrina justificationis: ratione nostri, Vera fides: Noli timere, quod per ועיוון idem est, quod crede, confide: Materia, vel Subjectum, est Abramus, Pater Fidelium, & omnis ejus posteritas, in primis etiam*

DE FIDE JUSTIFICANTE,

autem Spiritualis: *Causa formalis* consistit in *malorum repul-
sione: Ego sum scutum tuum: & in bonorum collatione: &
merces tua magna nimis. Causa finalis* Cui, dicitur Abraham,
& quilibet fidelis tum ex *preparatio*, tum ex *Circumcisione: &
Cujus*, est *æterna merces*, vel etiam *salus æterna*.

Finis.

16. Sic igitur in definitione quoque; loco ultimo *salus
æterna* producitur, licet alias multi quoque; fines ex scriptu-
ris allegari possent.

17. Accedimus jam ad doctrinam *Dei Fide justificante*,
& THES. V. dicimus, quod *fides justificans* revera sit "ὄργανον
ὄργάνων, *Instrumentum Instrumentorum*.

Fides Or-
ganum
Organorū.

18. Probatur hoc [1] quia *divinum est organum*, quod est
opus solius Dei, *Job. VI. 29. donum solius Dei* *Eph. I. 8. bonum
est solius Dei, Ps. GXIIX. 8. quia bonum est confidere in Domino,*
*v. 9. bonum est sperare in Domino, Ps. LXXIII. 28. bonum adharere
Domino, bonū datur Dei, Luc. XI. 13. [2] quia primū est organū,*
quo Messiam nostri protoplasti statim in paradiso spiritu-
aliter apprehenderunt, *Gen. III. 15. [3] quia tantum unicū est
organum ex parte nostri, nim. una fides, Eph. IV. 4. [4] quia Ca-
tholicum est organum omnium subjectorum & fidelium, Heb. XI.
4. seqq. omnium objectorum, quo Deum, & omnia, quæ Dei sunt,
apprehendimus, Matt. XXII. 19. quia sicut baptisamur, ita
Credimus; credimus autem in P. F. & Sp. S. juxta symbolum Mo-
saicum, Deut. VI. 4. & Apostolicum: omnium temporum, Heb. XI.
4 seqq. omnium locorum, siquidem Deus per Apostolos annun-
ciavit hominibus Evangelium, ut omnes UBIQUE penitentiam
agant, & in penitentia vere credant. Et Christus præcepit
discipulis: Euntes in mundum universum, prædicare Evange-
lium omni creature: Qui crediderit &c: Marc. XVI. 15. 16. [5] quia
dicitur Organum adequatum, quod omnibus, in omnibus,
ad omnia, cum omnibus, secundum omnia, per omnia,
propter omnia &c: solummodo sufficit.*

19. THES. VI. *Fides, juxta definitionem Apostolicam, est
hypothesis rerum sperandarum, & Elenchus non apparentium.*

fenti-

DE FIDÉ JUSTIFICANTE,

20. Quod in his verbis vera *Fidei justificantis definitio* re- *Authentia*
 periat, facile patet [1] *ex habitudine verborum*, quia defini- *ca fidei*
 tio Philosophis dicitur λόγος τῆς ἰστίαι, oratio declarans essen- *Definitio*
 tiam: jam autem per hæc verba fidei justificantis essentia decla- *Heb. XI.*
 ratur. [2] *ex rectitudine verborum*, quia verba præsentis Oraculi re-
 cta naturam fidei justificantis attingunt, eamq; directe propo-
 nunt, & exponunt. [3] *ex arctitudine verborum*, cū arctissime verba
 textus hujus ad definitionem referantur, cum sint verba defini-
 tiva. [4] *ex plenitudine verborum*, quia plene nobis fidei justifican-
 tis naturam exhibent, adeoq; veram quoq; definitionem præ-
 bent. [] *ex collocatione verborum*, quia præsens oraculum, ratione
fundamenti v. i. proponitur, & tanquam *natura fidei justificantis* o-
 mnibus exemplis præmittitur, ac instar *theseos* præsupponitur,
 dum Apostolus in seqq per totum caput *Exempla*, sicut & alia do-
 cumenta fidei justificantis proponit, quæ singula nostrum Ora-
 culum instar *fundamenti, theseos*, vel etiam Definitionis, præxi-
 gunt, sicut ex collatione luculenter apparebit.

21. Constat autem hæc *Definitio* tum *Genere*, tum *differentia*.
Genus est, quod sit *hypostasis*, quando nim. vox *hypostaseos*, absolute, *Genus*
 vel simpliciter accipitur, & ad reliquas causas non restringitur; sic
 enim generis naturam præ se ferre deprehenditur. *Differentia*
Causalis est, dum introducit [1] *Causam formalem* in *hypostaseos* vo- *Forma*
 ce, quatenus relate; cum relatione debita ad reliquas causas, spe-
 ctatur partim quia talis *hypostasis*, fidei justificanti dat esse, dat di-
 stingui; dat operari, quod prolixè posset etiam ex ipso textu, &
 contextu probari. [2] quia dicitur alias ἰστίαι *Synonymum fidei*,
naturā fidei justificantis exprimens, quod tamen fit non tā ratione
materialis, quam *formalis*, sicut ex ipsa voce, planius & plenius
 introspecta, liquet. [3] quia per Spiritum Sanctum h. l. vox ἰσ-
 τίσαιω immediate cum voce πίστειω conjungitur, adeoq; potissi-
 mum essentiam ejus exprimere convincitur. [4] quia juxta col-
 lationem reliquorum verborum esse *formale* sub *hypostaseos* voce
 designatur, & explicatur *Vid. Theol. Bibl. d. l. p. 297 tb. 11.* [2] *Causam* *Materia*
Materialem, quando dicitur quod *hypostasis* sit rerum speranda-
 rum,

DE FIDE JUSTIFCANTE,

nam, quibus citra dubium conceptus *materialis* explicatur, dum *hypostasis formaliter ad res sperandas*, tanquam ad sua *materialia* refertur: & quidem insinuatur per accuratam hanc locutionem (a) *Materia ex qua*, dum Apostolus in *plurali de multis* loquitur, & *materiale multitudinem* respicere deprehenditur, cum certum sit, quod *plurima* sint *veræ fidei capita*, multa *fidei Christianæ Myste-ria*. (b) *Materia in qua*, vel *subjectum*, cum *articulus τῶν* præter alia quoq; *subjectū* hic respicere videatur, cum *spes*, *mystica* non *per se subsistat*, sed in *certis hominibus*, nim. *vere fidelibus*, existat, sicut *totus Catalogus credentium* in seqq. ostendit. (c) *Materia circa quam* sunt *ἐλπίζόμενα*, non tam *formaliter*, quatenus ut *futura* *sperantur*, qua ratione potius *objectum spei*, quam *fidei*, dicuntur; quam *materialiter*; quatenus *fidei præsentia* dicuntur, ut *præsentia per fidem cernuntur*, apprehenduntur, & per *fiducialem applicationem*, vel *appropriationem*, *subjectorum* fieri dicuntur, sicut *pariter catalogus sequentium exemplorum* id evidenter edocet.

Efficiens.

(3) *Causam Efficientem*, quando vocatur *ἐλεγχθῆ*, non *humanus*, sed *divinus*, non *logicus*, sed *Theologicus*, non *probabilis*, sed *infallibilis*, non *nostræ*, vel *communis evictionis*, sed *divinæ* vel *spiritualis convictionis*, non *apodicticæ*, sed *authenticæ demonstrationis*, adeoq; sic *ἐλεγχθῆ καὶ ἔξοχῆν*, intelligitur, qui sit (α) *Dei*, tanquam *causæ principalis*, cum *fides sit opus Dei*, Job. VI. 29. (β) *donum Dei*, Eph. II. 8. (γ) *verbi Dei*, tanquam *instrumentalis causæ*, quæ dicitur *verbum fidei*, Rom. X. 8. & 17. (δ) *fæderis Dei*, vel *divinæ regenerationis*, Tit. III. 5. *regeneratio* siquidem dicitur *fidei*, seu *vitz spiritualis communicatio*. (4) *Causam finalem*, quæ declaratur verbis ultimis, *τῶν μὴ φαινομένων*, quia *beati*, qui *non vident*, & *tamen credunt*, teste *Christo*, Job. XX. 24. Et quod his verbis ad *finem* respectus habeatur, statim v. 3. luculenter ostenditur, quando sic Apostolus præsentia verba mox exponit: *UT ex invisibilibus visibilia fierent*: nam quæ sunt *invisibilia* *physicis oculis*, *UT non videantur*; illa suo modo *visibilia* *μυσικῶς* *oculis fidei* præsentantur,

Finis.

UT vera fide CREDANTUR.

AD PEREXIMIUM ET PRÆSTANTISSIMUM
DN. JOHANN. TOB. ENZELIUM,
SS. THEOL. CULTOREM INDUSTRIUM,
DE JUSTIFICATIONE, ET FIDE JUSTIFICANTE,
PUBLICE DISPUTATURUM.

Magnum in sacris literis *Unitatis, & Encomium, & Privilegium, & Mysterium* est. *Encomium*, quoad divinam prædicationem, & commendationem; *Privilegium*, quoad divinam exornationem, & immunitatis confirmationem; *Mysterium*, quoad Eminentem conditionem, & sublimem cognitionem. Multis illud explicari posset: Sed pauca delibasse, modo sufficiat. *Unicus* est *Deus*, & omnium rerum verus *Creator*, & *Conservator*. *Unicus* est exoptatissimus inter *Deum*, & *Homines* peccatores *Mediator*, & *Horum Salvator*. *Unicum* est hujus *Mediatoris salutiferum meritum*, tanquam *unicum sacrificium*, & omnium malorum remediū. *Unicum* est *Dei Verbum*, & efficacissimū nostræ *salutis medium*, quod dicitur *Unica Dei Veritas*. *Unicum* est nostræ *restorationis, veræ salvationis, Organum*, quæ salutem in *Verbo* celeriter, & firmiter apprehendat, nim. *Fides Justificans*, quæ jure dicitur Ὁ ὄρα-
νον Ὁ ὄρανον, & omne bonum hæc sola nobis proprium efficit. *Unicum* veræ *justificationis artificium*, una *salutis ad Gratia, Gloria, Regnum Via*. Hæc, & alia plurima *Gloriosum Unitatis Encomium, Privilegiū, & Mysterium*, indicantia, juxta *Scripturam, Tibi, PEREXIMIE ET PRÆSTANTISSIME DN. RESPONDENS*, grata sunt, & propria, tuumq; *Cognomen* non absq; *fato* respiciunt, & inferunt. Nam hæc omnia, tanquam *Nomini Tuo hereditario* nativa, *Tibiq; præ multis aliis, jure Nominali, competentia*. Laude proinde dignum, quod sedulam *Tui Nominis rationem* attendis, & studio non vulgari singulis diebus *Unitatis sublimioris Mystera* prudenter intendis, ac ad *planiorē, & pleniorē eorū notitiā* contendis. Hac vice *Gratuita JUSTIFICATIONIS, & FIDEI JUSTIFICANTIS Unitatem* piis tuis *Meditationibus, & Academicis collationibus* destinasti, cum *Articulus Justificationis* sit *prora, puppis* ve totius *Christiana Religionis*. Bonum hoc *Factum!* Perge tuis in laudatissimis conatibus! *Christus & ipsius Justificationis, vel salutis Αεχνηός, & Fidei Justificantis Αεχνηός, η̅γα Τελευτη̅ς*, hanc tuam *pietatem, sedulitatem, & sacra discendi cupiditatem*

tem

sem cælitus videbit, & non molo sacros hosce constare in Academiæ,
sed & olim, labores fructuosos in Ecclesiâ promovebit, quod Tibi,
Tuisq; studiis devotis suspiriis precatur

Dab. Witteb. d. 3. Febr. Anno 1692.

JOHANNES Deutschmann / D.

O miseros homines, nequeunt qui credere justè!
Justa fides quæ sit, jam docet ENTZELIUS.

Hæc gratulab. adjiciebat

M. ABRAH. HENR. Deutschmann / Fac. Phil. Adj.

O stendit, Fautor, quod sint sibi consona verba
Scripturæ semper: dogmata dia docet;
In justum justum, quod Judex Optimus odit,
Juste declarat: discite justitiam!

*His Politissimo ac Præstantiss. Dn. Respond. Conter-
raneo atq; Contubernali suo Sævissimo sincero ex
animo applaudebat*

M. Joh. Christoph. Neuse / Sondersh. Schvvarzb.

Ex quo Musarum fausto pede castra secutus,
Eluxit fervor multaq; sedulitas.
In Cathedra primos nunc per sentiscis honores,
Invida quos nunquam lædere lingua potest.
Acrius instabis studiis, majora sequentur
Præmia: Sic verus testis, & augur ero.

gratulab scribebat

Joh. Günth. Kiese Wetter, Arnstad.

Sola Fides homines per Christum reddere justos,
Non nostrum studium, vel bona facta, potest.
Hoc nobis sacri cœlestia dogmata verbi,
Hoc simul ENTZELI mens benè docta probat.

O Bene! qui nunquam meritis confidit iniquis:
Nos solet ad vitam ducere sola Fides.

Ita gratulando sentiebat,

Et Clariss. Dn. Respond. prospera quæq; apprecabatur

Matthias Raundorff / Schönwaldâ-Bohem.

Coll. Diss. A 162, misc 44